




V
B J
C

Frid. Zamell

FAMA ALMESIÆ,

qui est

EPIGRAMMATUM

Liber XIII.

ELBINGÆ

Typis WENDELINI BODENHAUSEN

ANNO M. DC. XLII

SI canimus Nimfas; Nimfarum turba Poëtæ
Asſecla, Nimfarum lingua manusq; ſumus.
Ad ſolos veniunt illarum oracula Vates.
Eſt inter Nimfas vivere noſter honos.
O animos humili terras cum plebe peroſos,
In partem ſortis quotquot iêre deûm!

ILLVSTRISSIMO & REVEREN-DISSIMO DOMINO DN MICHAELI à DZIALIN DZIALINSKY Episcopo Hipponensi, Abbati Moglinicensi, Episcopatûs Warmiens. Administratori, ejusdemq; Ecclesiæ Cathedralis Canonico & Secretario Regio &c. &c.

S.



Epenumerò mihi usuvenit, Præsul Illustrissime, ut rerum occasionibus feliciùs uterer, cùm fortuna obtulisset; temporum momenta operosiùs colerem, cùm ambitu quæsita essent. Et ita comparatũ est, ut majori voluptatis sensu perfundatur animus fruentis, ubi se ipsa ingessit amica oportunitas. Quamobrem etsi asserendis opellis meis & Te, Illustrissime Domine, Mœcenatem publicè nactus essem; tamen ejusmodi munere adeundi Tui facultas nondum adepta erat. Quamtumvis exiguo nubium pallore nonerat. Quamtumvis exiguo nubium pallore non-subdum liquidò apparebat frontis Tuæ serenitas. Suberat & metus, ne observantiæ materies aut Tuâ dignitate aut meis annis indigna judicaretur à malevo-

levolis. Commodùm his diebus accidit, ut cùm uterq; Tu nostris ego vestris à partibus in reditu essemus ; alter alteri crepusculascente jam die inter nemora incideret, Tuq; prior me agnitum clementer allocutus carminis aliquid à Tuo Zamelio exigeres.

Pollicitus sum non carmen sed carmina daturum, volente Numine. Igitur sub flagrante Sirio silvarumq; Amaryllida resonantium inumbrantibus comis Almesiæ meæ laudes calamo deproperandas argumentum mihi sumsi. Etenim

Ipse ego Trinacriis ex upilionibus unus
Dicor, & in silvis caprum meruisse canendo.

Atq; fortassis haut malè Illustris Dn. Borastus mihi absolutis duodecim Epigrammatum libellis in hæc Nimfæa ultro prolabenti decimum tertium cum Hercule laborem scilicet in Hebe nuperrimè finiebat; nisi hunc Herculem aliis aliisq; diversis scriptiunculis pridem in Oetâ relictum superassem. Sed de liberis quod optabat, ut numero excederent (honoris caussa est, ut referam) hæreo si accedam: cùm in non amplissimam fortunam rectè eductorum satis sit decora paucitas. Cœli decreta non vellimus: sapientissimi legum conditoris sunt: qui quibus scripsit, etiam benignè prospexit.

Et si

Et ſi renitamur, quo brachio? deinde ſanctisſimam appellationem conſecuti, parentes? Sed iſta ἐκτὸς τῶν ἐλαιῶν: ad Almeſiam redeo. Nimfa erat & corporis & animi dotibus noſtri carminis præconium merita. De corpore abunde habui dicere, animo ſuo, id eſt, ingenti dignum fuiſſe. Hic iſtum ſexum & virilis induſtriæ munia egreſſus ſolidam virtutem cum verâ pietate in ſe conjunxerat.

Amictum adhibui, & in eo cultum: nihil ambitiosè, nec temere aut cum vulgo: ſed ut ſcires ei imprimis convenire, in cujus felicitatem natura cum virtute conſpiraverint: aliorum opprobrio eſſe, cùm præter ſumtam veſtem precioſi nihil ſecum portent, qui induunt. Ejus Nimfæ Famam Tibi, illuſtriſſime Domine, commendo: quæ ipſa Tuo ſub patrocinio vivere malebat, ſi ſupervixiſſet. Sed eam naturalis fatorum neceſſitas his rebus eripuit. Fruſtra erit, quicumq; eam natantibus oculis ab ullo cœtu, ab ullâ turbâ populoq; poſthac requiret. Ego aſpectuum cupidinem deſideriumq; juſſu tamtæ mentis amolitus virtutum recordatione, ut vides, mulceor. Tu qui celſo loco poſitus es, abſentis nomen honoremq; tuere. At ſi hoc munuſculo ceſſatum à me diuculè eſt, omnem moram imputa. Sortem ex ipsâ

conſtitue

constitue & fœnus, quamtumcumq; Tibi visum. Tuis in nominibus ero: nihil rationum turbabitur. Ego solvam, aut hæ mecum Tibi obligatæ accessiones meæ, viragines Heliconiæ. Etiam quot illæ, tot Tibi nablia chelyesq; pignori sunto. Ecce in his cunctarum voces occupasti. Psallent, cùm Tu admiseris. Nimirum hoc est, quod Te voluisse aut tunc præsensi, aut nunc præopto. Fave, Præsul Illustrissime, nobis omnibus, diuq; ac beatè vive. Dabam Drusopoli anno s. n. M.DC.XLII. V. Idus. Septemb.

Illustriss. Reverentiæ Tuæ
cultor cliensq; humill.

Frid Zamelius.

Ad Illustrissimum nec non Reverendissimum Dominum Dn. Michaelem à Dzialin Dzialinsky Episcop. Hipp. &c. &c.

Dzaliniæ decora alta domûs, proavosq; vetustos
Et plausûs ex hoste datos Epigrammate curto
Dicere Musa vetat. Res est dilata sub horas,
Queis Vati licet esse suo, mœrore remoto.
Nescio quid tamtùm levibus succumbere curis
Mens assveta suas ignoret in omnia vires;
Et fugiat totis Pirene conscia labris!
Sed Tu qui Tyrias Antistes proximus arces
Despicis, & Latiis committis finibus Afros,
Dzalini Michaël, tenuem ne sperne laborem.
Ille Tibi sacer est: illùm potiora sequentur.
Interea pridem defunctæ in carmine nostro
Almesiæ defende decus, si fortè Theonas
Invidiæ stimuli vel in ossa exanguia Nimfæ
Impulerint famamq; meæ. Secura nocentis
Non penitùs linguæ est etiam inculpata venustas.

De laudibus Almesiæ.

IMprobet Almesiæ laudes mala lingua, meoq;
Detrahat ingenio, seu verum excedere dicat;
Ingenuè fabor. Cùm non satis ora valerem
Concelebrare satis nulli celebranda Poëtæ,
Laudibus abstinui formæ. Vicina secuti
Vestitum & mores hoc vultu ante omnia dignos
Extulimus. Vati vos auscùltate puellæ:
Forma proba est, qualis virtutum robore freta est.
At si de dominâ vix hæc licuisse putatis,

Ipsa

Ipsa sibi poterat totos contexere libros,
Docta meas artes & amœni carminis autor,
Cauta tamen nomen præmittere Vatis amici.

Exercitia Almesiæ.

STamina dat famulis, netricia pulpita sumit
Ipsa sibi Almesia, & squallens discriminat aurum,
Filaq; componit telam missura sub unam.
His abit in studiis vicinia lucis & umbræ.
Manè novo collecta comas vestemq; fluentem,
Cùm menti sua facta quies, Superisq; litatum
More pio; sacros primævâ ab origine fastos
Volvit, & Andini percurrit texta Maronis.
Sæpe Tibulle Tuos colit & meditatur amores,
Sæpe Tuos Naso, nec magnum spernit Vlyssem,
Qualem Mœonides ad naufraga littora misit.
Illas delicias illa oscula parva catellos
Virginibus caros inq; alta cubilia missos
Odit, & insanas est detestata puellas.

Linguarum notitia Almesiæ.

FElix Almesia es, magnâq; es parte virorum
Altior, æterni cuî se responsa Tonantis
Veriùs insinuant, quæ nullo interprete tamti
Imbibis orsa Dei, sensumq; requiris ab ipsis.
Atq; ô felices animi, quos integer implet
Spiritus, & vacuas error non occupat aures!

Pietas Almesiæ.

DIscite ab Almesiâ, quo stet veneratio magni
Numinis affectu, qui cultu gestus in ipso.

Nil

Nil rogat in proprios Superûm sed congregis usus.
Sæpe libros adhibet, sed quos sincera vetustas
Edidit, & sensum divinis excitat orsis.
Sed neq; Socraticos est aspernata precatus.
Quod probet, inq; his est, & habent pia carmina Vatum.
In genua incumbit demissa sub æde Tonantis:
Cumq; domi oraret, conspexit nemo sedentem.
Sic Reges meruêre coli, Regumq; ministri.
Plus, inquit, Superûm est in Majestate deorum.
Quæ pietas æquâ cum dIs se parte gerentum?

Oleum Almesiæ.

PLus olei impendit tepidæ mea nimfa lucernæ,
Quàm stomacho: gratumq; magis probat esse Minervæ.
Tunc mihi patrimæ placet, inquit, in oscine divæ
Quidquid inest, coliturq; meo sacra noctua puncto.

Pygmæi Almesiæ.

ESse aliquid nanis præter ludibria parvi
Corporis, Almesiam memini mihi dicere: nempe
Illorum egregiis animum afflixisse repertis,
Cùm sibi deficeret; risu indulsisse modesto,
Vir quoties pumilus se magno æquasset Achilli.

Frugalitas Almesiæ.

RIsit de manicis, risit mutabile vulgus
Almesia: & mallet certâ ratione teneri,
Quod de sartorum muliebria corda tabernis
Accipiunt. Tubulus legitur nunc strictior ulnis:
Optant induviis nunc propendentibus uti.
Dissolvunt consuta recens aliâq; refingunt
Tæniolâ, & veteri commissa lacinia panno

Diſſidet. Exiguo mulier ſcrutaria tamdem
Indicat: & tenuis redimit plebecula mundum.
Almeſia omne genus condit, Grajisq; reponit
Corbibus, & quarto mutat ſine ſumtibus anno.

Modeſtia Almeſiæ.

NVbe caret facies ſemper gratiſsima noſtræ
Almeſiæ. Si fortè tamen frons aſpera viſa eſt,
A cauſſis habuit juſtam celerantibus iram.
Hac tamen abſtinuit, preſſitq; in corde dolorem.
Et cùm non temere dignoq; arrideat ore,
In riſus animum numquam laxavit apertos.

Turtures Almeſiæ.

NVllas paſcit aves, ſolis mea diva volucrum
Turturibus jam ſex eſt delectata per annos.
Quærebam: quid nimfa doces hoc oſcine tali?
Illa verecundos lacrimis implevit ocellos:
Et ſatius noſſes; ſi ardentiùs, inquit, amares.

Pileus Almeſiæ.

PIleus Almeſiæ noſtris cantabitur oris.
Namq; prior cecinit Vates: quem ripa Nogedi,
Accola quem Druſi ſtratum frundente ſub alno
Sæpe videt, Phœbumq; audit Muſasq; cientem.
Forſitan & Latiæ matres divæq; Lacenæ
Audierint, hodieq; Chios prælata Therapnæ.
Marginis exigui, ne frons obſcura maneret,
Ne facies hoc digna habitu formoſa lateret,
Non penitùs flavum per mollia timpora cinnum
Flammeaq; abſcondit, tamen ille capacior infrà
Stringitur aſſurgens, nec totum evadit acumen,

Lunari

Lunari suprà tenui licèt orbe relicto.
Ater ei color est petaso promiscuus omni:
Nigrior hic tamen est, & gratior anthrace quovis:
Quali aciem aut aquila aut Serum villosa lacessunt
Castorei coiêre pili: non altera lana,
Non aliud vellus sumtum, cùm nobile tegmen
Artifices fecêre manus. Obit aurea torques,
Aut Phaëthontéum limbo resplendet electrum,
Sive adamas Indæ seu lacteus unio gentis.
Vidisset Vates Phariæ telluris alumnus,
Qui Berenicæum vexit super astra capillum;
Hoc velo optârit laudatos cingere crines.
Vos ô ne invidiâ ne nostram onerate puellæ
Almesiam: Vestro dudum pulcherrima puncto
Audiit. Almesiæ concedite pileus hic sit.

Mitræ rectè utentis Almesiæ.

VIx tamtùm, ut fatear, brumali frigore, quamtùm
Sole sub ardenti nostras muliebre per urbes
Vulgus Hyperboreis ornat capita ardua mitris.
Et caussa in luxu est, quo nobiliore tegantur
Pelle per æstates pariter hiemesq; rigenteis.
Deperitura situ pretiosæ munera pellis
Scilicet, & nasci rodentem in vellere blattam,
Condita si lateant; noxæ minus esse sub æstu,
Inq; usu: & nostræ damnârunt pilea divæ,
Si crebrò gestet, mitrarum funere certo.
Responsum Almesiæ, si forsan quæritis, edam.
Persvasum est, inquit, si credunt ista mariti
Pileolis usi quoties Sol improbus ussit.
Si nil præsidii est in amaris & rude parvâ,

Nec fraudem novit maturus pellio. Sed vir
Ad mitras rediit, ubi cœlum tristius algu est.

Frontale ab Almesiâ spretum.

ALmesiæ frontem quotquot vidêre, dearum
Esse domum dixêre, nihilq; augustius esse.
Nullum crimen inest. Ideo mea diva videri
Cùm faciem patitur, nullis frontalibus ambit.
Hæc, ait, assumant vitiatâ fronte puellæ.

Peplum Almesiæ.

NOn adeo ut Solem nitidis prohiberet ocellis,
Non adeo ut facie nimium defenderet æstum,
Almesiam Actæi velavit aranea pepli.
Illa viro negat à quovis se velle videri:
Illa à non alio quàm me solo optat amari.
Discite vos pueri: medio sic nupta Decembri est.

Collare Almesiæ.

CRedideram tenui dominæ collaria bysso
Esse, sed asbeston mihi dixit, & esse probavit
Ignibus admotis: sed quæ segmenta flagrantis
Vrticæ è fibrâ sibi neverat, extremasq;
Fimbriolas texti septemplicis abstulit antè.
At si simplicius, quamvis non absq; corollis,
Vnaq; sit series; substrato incumbit Atlanti,
Inq; auri squamis argenteus uritur orbis.

Sebellinæ pelles Almesiæ.

VOs Scythici mures nostram munite puellam
Adversus Borean vestræ spiracula terræ.
O nimiùm vicina Gothæ mea Drausias Arcto!

Sæpius

Sæpius Almesiæ facies livente pruinâ
Spargitur, & gelidum tangit præcordia frigus.
Nec tamen oris honos aut sic obnoxius hæsit,
Aut non ad primos abierunt nubila tactus.

Tunicæ Almesiæ.

ALmesiæ tunicas & quo concinnior intrat
Si canimus, sed quæ meruêre potissima dici
Corporis, ad tacitas Cereris mysteria leges
Scribimus; in vitio lectores ponite nullo.
Ista sibi ex alio est sapientis cautio Vatis.
Sed tunicæ Ligurum lautis venêre tabernis,
Flosq; rubens hodie est, cyanéum aurora reposcet.
Strictius os suprà est, quà pectus amabile tangunt,
Inq; sinus abeunt extremâ parte refusos.
Aptior haut coiit Campani nola metalli.
Non aliter potuit se cingere mater Amorum.
Non aliter Iuno summo placitura Tonanti.
Hactenus Augustæ domui nuribusq; Britannis
Consuit illa manus, cui vestem nostra locavit
Almesia: & dubites supremæ adjecerit oræ
Solum aurum, an gemmas rigido commiserit auro.
Sed solum est, totâq; illud quasi veste renidet.

Strophium palliumq; Almesiæ.

ET strophia Almesiæ teretes cohibentia mammas
Colluctata nivi rarâq; tenerrima telâ,
Et quæ vos dociles misistis pallia Sinæ
Æquali demissa humero, suffultaq; muris
Pelle Borysthenidæ lætùm nigricante capillo,
Quà cingunt illæ latis radiantia fimbrIs,
Ne taceam; facit iste decor, qui totus in ipsâ

Almesiâ

Almesiá est, quoties strophia haec & pallia sumsit.

Armillæ & torques Almesiæ.

AVrea de dominæ pendere monilia collo
Vt vidêre meæ juvenum lectissima turba,
Vt manibus vidêre auro gemmisque micantes
Armillas flavumque suo super ampyce crinem,
Et vestem & faciem & facie digna omnia; quorsum
Illud erat cœlo quòd meque illamque locarent?
Facta mihi invidia est dominæ de sorte beato.

Zona Almesiæ.

ZOna novem smaragdis, totidem ambitiosa pyropis
Venit in Almesiæ locuples accessio mundum.
Illam uni voluêre omnes sic credo merenti:
Illam uni voluêre omnes ita fortè placenti.
Vere novo riguis matrum convenerat hortis
Agmen, erantque viri cùm matribus ista locuti;
Cùm medius cœtu fertur dixisse Cupido:
Felix cuî licuit tam cultæ solvere Zonam.

Pectorale & chirothecæ.

STringitur Almesiæ lucenti syndone pectus:
Exteriùs Phrygiæ tegumento cingitur artis.
Tale opus & geminas tenui sub vellere palmas
Ambit, & angusto tendit digitalia tractu.
Mirata Almesiæ exuvias est rustica Phyllis:
Quas neque filiolæ quinquenni dixerat aptas
Esse suæ: risumque mei movistis amores.

Ὑποδήματα Almesiæ.

CAlceus Almesiæ catulinis pellibus albet.
Seras in hoc sprevit: quòd non sine pellibus hærent

I 3 C

Inde puellares obeuntia vincula plantas.
Pondus habent & sæpe urunt, stringiq; recusant
Longiùs à tenero. Molles placuistis alutæ
Parte licèt demtâ, quò pes utrimq; pateret,
Munera quò Serum Tyriis saturata venenis,
Illa pedem interiùs totasq; ornantia suras
Lætiùs extarent. Ligulis à Sere revinxit.
Iamq; color galbus, jamq; est violaceus illis.
Sæpe etiam rigido distinguit psittacon auro
Quatuor iu parvo pede collectura colores.

Cervical Almesiæ.

SÆpe fit, ut mediâ rumpantur nocte sopores
Almesiæ, vigiletq; levi mea diva susurro.
Ergò ubi jam prono geminantur Sole calores,
Exiguo refovet languentia membra grabato.
Quâ caput inclinat, formosa est culcita pictis
Passeribus. Ducto domina ipsa peregerat auro.

Speculum Almesiæ.

ALmesiæ speculum vitreo succinctius orbe,
Crystallus nativa magis quàm fusile vitrum,
Nec squamam guttamve trahens, nec turpe lacunis,
Fabrum opus Euganeis nuper descendit ab oris.
Hoc adhibet sed manè novo, cùm pectine smmto
Comitur, & facies sincero fonte nitescit.

Cultellus Almesiæ.

CVltellum Almesiæ fortes cudistis Iberi:
At vos Britonum fabri stupuistis, & Hebro
Proxima Vulcani suboles. Tam cuspide firmâ
Tam validâ est acie, tamq; iuviolabile ferrum,

Vt

Vt cultellifices bene traducantur Iberi.
Astruxit capulo patriæ regionis electrum,
Induit electro nivei ramenta metalli
Edita in æquoreis manus ingeniosa Borussis.

Mensa Almesiæ.

CItrea mensa meæ est Orbiq́ simillima divæ.
Nulla tapes operit. Pretiosa est arbor, & in se
Plus decorum invenit. Cumulentur fagina pictis.
Damnat ob æternum mensas ex marmore frigus,
Convivasq́ suos probat ambitione remotâ.

Sella Almesiæ.

SElla deæ ex hebeno est, & sellæ culcitra, qualis
Bombycum è telâ violæ mentitur houorem.

Cochleare Almesiæ.

COchlear Almesiæ præstantius esse metallum
Convenit. At quoties in rus secessit amœnum,
Et stannum è risco seu buxum villica promit;
Da mihi, sic inquit, quo Tu mea Thestylis usa es.
Annuit hæc, & verba notat vultumq́ loquentis.

Urceolus Almesiæ.

POtat in urceolis auro mea diva remoto
Fictilibus, Samiumq́ lutum flagrantibus horis
Præcipuè laudat. Quamtùm peccetur in auro,
Sæpe putat mecum, nudus si attenditur usus.
Fulget onyx Bacchiq́ caper præsente Poëtâ,
Ad dominam cari quoties venistis amici.

Campi exspatiantis Almesiæ.

EGreditur mea diva, in campos exit apertos.
At nihil in vacuos vidi traducere lusus.

Qualibet

Quâlibet ex herbâ, quovis è cespite, quovis
Vimine præclari trahit argumenta laboris.

Lac cum pomis Almesiæ missum.

Lac niveum, mea nimfa, TuumTibi mitto colorem:
Quiq; alter Tuus est, hæc mala rubentia mitto.
Defecêre Tuis pictorum vultibus artes.
In quo specteris, forsan natura ministrat.

Vates Almesiæ.

ALmesiæ laudes septem cecinêre Poëtæ.
Dachius ex illis de sex quæsivit amicis:
Sed tacui. Mala multa tamen dederint mihi dI, ni
Te Dachi ante alios ego sex celebravero Vates.

Equi albi Almesiæ.

GAudet equis mea diva vehi sed gaudet ab albis,
Eq; Camillorum se prodit ab indole tali
Stirpe satam. Latet in venis & sanguine virtus
Majorum, loquiturq; ejectum æternus Vlyssem
Ardor. In angustis egerunt dI quoq; rebus.
Opprobrium Almesiæ non unius, arcta tulisse.
Sed tulit, atq; animus formosi corporis ingens
Infames calcavit opes: jam proxima cœlo
Iam divûm sibi visa domus intrare deasq;'
Inter habere locum sua præmia possidet in se.
Admotus curru sonipes stetit: at fuit ater.
Almesia ut vidit, tremulos dejecit ocellos.
Ergò, inquit, quasi præda forem Phlegethonta tenentis
Pullo ducar equo? Niveis mutavimus atros.

Mala & pyra Almesiæ missa.

POma novem triplexq; pyrum sub Virginis astro
Misimus Almesiæ. De pomis abstulit unum

Deq; pyris unum qui pusio dona ferebat.
Almesia à puero pomorum quærere nonum:
Deq; pyris, dixit, quid me furuncule fallis?
Tertium abest: numerum Musarum explevit in illis
Noster, in his Charitum. Rubuit surrepta daturus
Dona puer. Vetuit mea diva referre canistris.

Sertæ ab Almesiâ.

MYrtea serta gero: laurus Musæa valeto.
Muneribus venêre deæ, quam nostra Poësis
Autorem invenit: qualis non vana feretur,
Cùm mea venturos advertent scripta Poëtas.
Tunc istæ Cypriæ myrto rosulæ intertextæ
Æternum mihi munus erunt, mea diva, Tibiq;.

Obtrectatores Almesiæ.

NOn latet Almesiam Cynaræ furor. Invidet ori
Ingenuo, dignisq; illo virtutibus ore.
Scilicet esse nefas habuit laudare venustas:
Credidit esse nefas idem laudare modestas.
Mitior ipse Cynops, qui postquam vidit in hortis
Fortè pares inter se digna locoq; gerentem
Almesiam, ut legeret flores ac nosset in illis
Et decus & vires, ut amicum frontis honorem
Præferret sed docta gravem retinere pudorem;
Correxit de me quæcumq; est antè locutus.

Asinus Almesiæ.

NVper ab Arcadicis asinum pastoribus emi,
Almesiæq; dedi. Vah quid non ingerit almæ
Livor edax menti! Possent succumbere fortes.
Ne toleres ultrà, dixi, mea nimfa, quod urit
(Grande onus invidia est) subeat robustior armis.

Trium-

Triumfus Almesiæ.

DEme Tuas myrtos festinatura triumfos
Almesia, & solidas admitte in timpora laurus:
Siq; rudes silvæ patrii sub climate ruris
Munera tamta negant, de collibus exige Pindi.
Sive Therapnæo malis decerpere fundo,
Sume Tibi. Invidiam nostræ posuêre puellæ.
Progressa es virtute novâ majora ferendo
Sorte Tuâ, vicitq; suum constantia sexum.
Forma bonum minus est: plus est quod mente recondis.
Vltorem ne adjunge animum: negat esse beatam
Vindiciis Te fama prior. Tibi circulus omnis
Servit, & in populi venit Tua gloria cœtus.
Iam patriæ Alnetum nec nostro Consule dignum
Exit, & Abnobias ultra se promovet ornos.
Iamq; per Alpinas fertur liberrima cautes
Æternam niveis Vrbem subitura quadrigis.
Celtarum extremos veniet, quàq; ultimus axis
Gadibus incumbit, sese inter nubila condet.
Da mihi, si merui, Tua ferre tropæa per Orbem:
Dicar ut æternùm Vatet Tuus, atq; sepulcri
Augeat ista mei seros inscriptio fastos:
Heic demum Almesiæ Vates in morte quiescit.

Excessus Almesiæ.

ELata Almesia est. Nostri periistis amores.
Hei mihi! quàm paucis felices viximus annis.
Nec tamen Almesia est supremo exterrita fato:
Sæpe sed aspiciens, sunt hæc mortalia, dixit,
Ad majora ferar. Vetuit tabescere curis,
Aut pugnare Deo: lectoq; abscedere jussit
Omnem fœmineum querulo cum murmure sexum.

Tum postquam amplexa est inter suspiria cœlo
Vota precesq; dedit, sed & illa novissima verba:
Claude meos oculos Tu cuî luxêre videndi
In Superis iterum, palmamq; tetendit utramq;.
Almesiæ corpus bona fœmina lavit & unxit.

Lessus in funere Almesiæ.

PRimus in Almesiæ Vates sum raptus amorem.
Illius à cunis, quid mens promitteret ingens,
Vidimus ingenuæ venerati sceptra puellæ.
Tum mihi dulce novi primordia cernere regni,
Cùm senibus posset dominari virgo novennis:
Cui leve virgineas addiscere Palladis artes,
Nî studiis imbuta deæ majoribus esset.
Hoc decus ablatum est: & inerti linquimur ævo;
A vobis silvæ, quas mecum viva colebat,
Almesiam repeto, si Nimfas inter oberret.
Illarum fuit una: meam mihi reddite Nimfam.
Quid vacuos cineres, & vos jam triste cadaver
Sollicitem nostro mansuros pectore vultus?
Omnia luctificæ dudum rapuêre sorores
Ingenii præter dotes animiq; laborem.
Hoc nostræ superest divæ, quodq; illa reliquit
In nostris moriens superos testata medullis.
Est aliquid formam niveæ cantare puellæ:
Et vires habeant istæ sub pectore curæ.
Dum vivunt, prodesse puto. Nunc funus acerbum
Impedit Almesiæ, ne sors hæc prima dearum,
Ne bona cœlestes etiam flectentia divos
Materies mihi deinde forent. Sed nec minùs atrox
Ignis habet quæ sunt congesta prioribus annis.
Mittimur in caussas excelsâ mente profectas

Nullâ

Nullâ non dignas Siculi pastoris avenâ.
Quid tamtùm potuit virgo Cœnëia cursu
In Vatum meruisse libris? æterna canetur.
Et non Almesiæ, cursu quæ vincere posset,
Nî pudor obstiterit, veros meditemur honores?
In grege virgineo studiis imitata puellas,
In grege virgineo curas sectata viriles
Almesia ingentes animo superavit Achivos,
Dircæo Alcide Thetidosq́ propagine major.
Virtutem colimus: valeant quæcumq́ fuerunt
Corporis, & memorem subeant oblivia. Vatem
Hactenus. Exiguum est, si cultum Najade dignum
Prosequor, exuvias etiam sine labe relictas:
Vt credant gessisse deam, quæ fœmina qui vir
Viderit. O Superi quamtum convenit in unam,
Quodq́ heroinæ quodq́ ipsi heroës habebant!

Cippus Almesiæ.

ALmesiæ cippum qui videris hospes, abito.
Hunc extare sibi voluit, nihil amplius addi.
Nam quæ sunt animi, majore sub Orbe leguntur.
Quorsum Mygdoniis incumbit gloria fulcris,
Et vitam miseri quærunt in agalmate manes?
Nulla potens virtus perituro fragmine nixa est.

Annulus Almesiæ.

ANnulus Almesiæ Fidei sacrabitur aris
Nec geret hunc quæcumq́ illi succedet amori.
Illius hærebunt nostro sub pectore vultûs.
Illa mihi hoc monimentum extremâ in morte reliquit.
Aureolæ Charites Celmum Iovis undiq́ claudunt
Æternum lapidem. Quid vos in duro adamante

Occupat

Occupat ô divæ? firmum & durabile fœdus
Quod mecum feriit & cùm decederet, esto.

Ad Calliopen.

FLevimus Almesiam. Lacrimas compesce fluentes
Maxima Castalidum, fidissima cura Zameli.
Ecce propè est, nostris veniat qui montibus heros,
Ruraq; Drusicolæ lustret devexa Pomesi,
Ossoliæ gens celsa domûs: quem Sarmata concors
Lechiaci augustâ decoravit clave Tablini,
Roma suum Cæsarq; vocat. Iam Principe tali
Invitantur agri sincerum poscere Solem
Spectando decori: nunc & Phaethontides Alni
Deposito luctu gaudent attollore vultus.
His etiam venit ille deus: quibus unda Nogedi
Deficit, & patriæ decedunt flumina ripæ.
Quid fugitis vestro decurrere Najades alveo?
Aut si vis aliqua est, cumulusq; incumbit arenæ
Faucibus obstructis; certò sperare jubemur,
Vt Iovis ætherii sic & maris imbre rigemur.
Surgamus mea diva, ut misti Patribus urbis
Plena salutaris mittamur ad oscula dextræ.

Magnifico Dn. Celestino Iusto Puteano Erycl F.

Cùm quales Puteanus exputare
Perrarâ solet arte codicillos,
Et quales legit Orbis universus,
Nunc illos legerem, alteros subinde,
Libans aurea dicta, ceu virecti
Florem sedula apes; videre fabrum
Sæpe optabam operum tot elegantum.

Tum

Tum nostros juvenis vir in penates
DI! doctum lepidumq́ pectus intrat:
Et salvum Puteanus, inquit, optat
Prolesq́ hæc Puteana Te, Zameli,
Dilectum ô animis caput Batavis.
Ergon' sunt mea vota dIs probata,
Et cùm non oculis sit his videndus,
Innato Puteanus est videndus?
Discrimen nisi si pusillum in ore est,
Viva hæc illius undiquaq́ imago est.
Sic verbis pater optimis abundat:
Sic rebus veterum reperta adauget:
Sic omne hic sophos, omne patris ethos.
Sed Tu hoc, ô Puteanæ amor decusq́
Celestine domûs Bataviæq́;
Hoc, inquam, referes Tuo parenti;
Hoc ipsum referes Tuis Batavis:
Donec me Almesiæ juvabit ardor,
His fibris etiam Tui parentis
Mansurum & populi Batavi amorem.

Nobiliss. atq; eruditiss. puellæ Annæ Sophiæ Corbianæ Elbingam ingressæ S.

Virgo bonas artes, vocesq́ edocta Latinas,
Doctaq́ Grajugenûm verba diserta loqui:
Da mihi, Te videant gemini mea pignera fratres.
Optant hoc studiis corda sacrata Tuis.
Esse novem Musas nemorumq́ habitare sub antris
Venit & ad pueros didita fama meos.
Quale decus frontis, qualis sit in ore venustas,
Qualia sint illis barbita, sæpe rogant.

Tunc ego de silvis & majestate dearum,
Tunc ego de sumtâ plurima fingo lyrâ.
Res juvat hæc teneras & mittit in ardua mentes.
Sic juga conscendi Phocidos ipse puer.
Cùm Tu venisti, tamtùm hoc mea Corbia reddo:
Ite, in vicinâ Thespias una domo est.
Postquam spectârint, dicam redeuntibus illis:
Non hæc Almesia est, par tamen hujus erat.

In Grillum.

VEra tegunt fictis, & habent sua præmia Vates.
At Tu qui falso fictum discernere nescis,
Mentitum Almesiæ dixisti, Grille, Poëtam;
Mecum alios Vatum sex profligasse pudorem;
Per totidem Almesiæ natas mendacia laudes.
Audiat hæc genus Autolyci, dignusq; perire
Furcifer, & crimen malè defensurus Alastor.
Ora domûs impura tuæ priûs argue, teq;
Metire. Ingressi procul illo tramite, quo tu
Quoq; olitor tuus ire solet, perq; ardua Famæ
Ad superos nixi spatium vicinius astris
Fecimus, & nullo corrupti scripsimus auro.
Cultus hic in Reges gratissimus, inq; deorum
Progeniem: forsanq; meos hæc cura nepotes
Iuverit, & Grilli fabricas ubi destruet ætas,
Ad genus extremum descendet gloria nostri
Carminis. Interea Procerum placuisse coronis,
Est satis. Hoc audi mentita protervia de me:
Hoc quoq;: sex alios ea Vates scribere de te,
Nec Xenophontéos in te procudere Grillos.

